

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertationis stoicae de praeparatione ad futuros casus**

...

**Bernd, Adam  
Hartmann, Samuel**

**Lipsiae, 1704**

**VD18 90576101**

Widmung

[urn:nbn:de:gbv:45:1-15941](#)

V I R O

*Magnifico, Summe Reverendo, Amplissimo, Excellen-  
tissimo Domino*

**DN. JOHANNI SCHMIDIO,**  
Pro Tempore Academiæ Rectori Magnifico, S. S. Th.  
Doctori ejusdemque Professori Extraordinario in hac Academia  
longe celeberrimo, Eloquentiæ Professori ordinario dignissimo,  
Beatæ Mariæ Virginis Collegii Collegiato & h.t. Præposito  
gravissimo, & Alumnorum Electoralium Ephoro  
meritissimo.

V I R O

*Maximè Reverendo, Amplissimo atque Præ-cellentissi-  
mo Domino*

**DN. CHRISTIANO SCHMIDIO,**  
ad Spiritum Sanctum in Urbe Vratislaviensi Præposito dignissi-  
mo, Pastori ad S. Bernhardini longe meritissimo & Consi-  
stорii Assessori Gravissimo.

V I R O


*Experientissimo, Amplissimo atque Præ - Nobilissimo  
Domino*

**DN. DANIELI SCHOENFELDIO,**  
Philosophiæ atque Medicinæ Doctori longe famige-  
ratissimo, atque apud Vratislavienses Practico celeber-  
rimo,

*Dominis suis, Præceptor, i Patronis, Fautoribus studio-  
rumque suorum Promotoribus  
in Gratissimi Animi Argumentum  
Primitias has Academicas  
cum appreceptione omnigenæ Prosperitatis  
devotissima mentis observantia  
sacras esse cupit*

**Samuel Hartmannus, Vratisl. Ph. & SS. Th. Cult.**





DISSERTATIO  
*de Præparatione ad futuros Casus.*

§. I.

**D**icitur admodum nuper Nobilissimus Dominus Præses, quomodo Animum contra omnia, quæcunque nobis in vita eveniunt, sive bona sint, sive mala, præmunire possimus, ut non suâ excidat Tranquillitate; cùm verò in generalioribus tantum substiterit & contra Casus non nisi in genere consideratos consilia quædam suppeditaverit: placet jam Ductore illo Telam, quam exorsus est, pertexere, & nonnullos jam formare Casus etiam specialiores magisque determinatos & quibus præmeditationibus & præparationibus illis obviā sit eundum, ostendere, hunc maxime ob Finem, ut specialia quædam Exempla in Parte hac Posteriori citanda & proponenda Generalioribus in Parte priori aliquam Lucem afferant.

§. II. In illis autem formandis, non sane opus erit, certo nos ordini rigide adstringere, sed quia de casibus h. l. agendum nobis, etiam fore permīssum putamus, ut objecta bona & mala, prout ea Casu se nobis obtulerint, promiscue considerentur: quæ etiam non atrocissima semper & rarissime hominibus nonnisi paucis, dum vivunt, contingentia; verum talia potius futura sunt, quæ, quamvis sæpe levia, quotidie tamen Hominibus in vita evenire videmus, & in Animo Hominis antea pacifico cuidam mari simili, tanquam impetuosi venti & procellæ, invidiæ, iræ, odii, tristitiæ & aliorum affectuum fluctus attollunt, totam mentis malaciam uno Impetu auferentes. Prout & Nemo à nobis sibi promittat, præparationis media contra speciales Casus jam afferenda fore talia, ut non unum eorum aut alterum hoc loco contra hunc maxime Casum adhibitum non possit insimul forte alii Casui opponi & ap-

A 2

pli-

